

vel cum vulgata editione circumferuntur, expū-
ctis locis suspectis à Facultate Theologica alicuius
Vniuersitatis Catholica, aut Inquisitione gene-
rali permitti eisdem poterunt, quibus & versio-
nes. Quibus conditionibus totum volumen Bi-
bliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut
partes eius concedi viris piis & doctis poterunt.
Haftenus Index. qui rectè dicit: Volumen illud:
Vulgò Biblia Vatabli dici, quia appellatio hæc
ex vulgari persuasione exstitit, Vatablum non
tantum Scholiorum, sed & ipsius versionis no-
uæ ad veterem à Roberto adiectæ Auctorem
esse: quod secus est; vt vidimus.

Indicis Tridentini hortatu videntur Theolo-
gi Salmanticenses in Hispania excitati, vt ex his
Bibliis Vatablo adscriptis errores expurgarent,
opusque emaculatum liberè lectioni permitte-
rent; & Salmanticensibus typis subijcerent;

Anno Domini 1584. teste Posseuino in

Apparatu.



Caput IV.